



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxii [i.e. iii]. Possunt forma materiales, etiam modales, creari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

habet subjectum inhæſionis aut sustentationis, sed adhæſionis tantum, nempe rem creatam; dicuntur tamen accidentia supernaturalia, V. G. habitus fidei &c. à Deo infundi non quòd ab eo creentur, sed quia non possunt ab agente naturali naturaliter educi; quæ ratione verò educantur è potentia obedientiali animæ, leges infra, ubi agetur de potentia obedientiali passiva.

III. Possunt nihilominus accidentia materialia & nominatim modalia à Deo creati tolli enim potest à modis dependentia, quæ dependent à modificato in ratione subjecti, utpote ab entitate modorum distincta, etiam tolli ab iis nequeat connexio illa, quæ ita connectuntur cum suis modificatis actu existentibus, ut impossibile sit, eos ab illis existere separatim, utpote ipsis modis identificata. Idem est de formis & modis substantialibus. E contra nulla in eo apparet implicancia, si forma substantialis immaterialis, exigens creati creatione à se distincta, educatur; non enim talis forma formaliter per se ipsam est independens à subjecto; nam sicut ideoeductio identicè est dependentia rei à subjecto, quia
 præ-

præterquam , quòd dicat respectum ad agens , dicat quoque respectum ad passum sive subjectum , sic creatio ideo erit non dependentia sive formalis & positiva independentia ; quia non dicit respectum ad passum ; neque enim requiritur , ut dicat positivè respectum ad non subjectum. sicut bene dico : Petrus ideo est homo ; quia præter respectum , quem dicit ad sensationes , dicit quoque respectum ad ratiocinationes : ergo equus est non homo seu irrationalis , quia dicit respectum ad sensationes , & non dicit respectum ad ratiocinationes. Ad hæc , sicut primaria functio educationis est , reddere rem existentem ; secundaria , reddere eandem actu egentem subjecto ; sic primaria functio creationis est , reddere rem existentem , secundaria , reddere eandem actu non egentem subjecto ; & sicuti jam res non habet à se , quòd fit actu , sed ab actione ejus productiva ; sic non habet à se , quòd fit actu egens , vel non egens subjecto , sed ab educatione , vel creatione. Etsi autem attentâ præcisè virtute causæ secundæ non sit proportio inter actionem materialem & effectum spirituales , sufficientem tamen

tamen

tamen inter ea esse proportionem attentam virtute divina, patet ex eo, quod sufficiens proportio inter actionem ex natura sua independentem, & effectum materiale ex natura sua omnino dependentem à materia. Afferit quidem Hurtado, actionem nobiliorem, qualis est creatio, per ignobiliorem, qualis esteductio, non posse suppleri, sed non probat; quinimò ipse docendo accidens spirituale inhaerere posse subjecto corporeo, docet, inhaerentiam nobiliorem per ignobiliorem suppleri. Quamvis doceant alii, & bene, simul creari & educi posse talem formam, in quo casu una actio aliam non suppleret: & non sequeretur hinc, formam illam habere negationem absolutam dependentiæ; sed habere negationem dependentiæ ortæ ex ista actione creativa, sive per illam non dependere, & vi illius nullam trahere dependentiam. Nequæ ex dictis huiusquæ sequitur, talem formam fore corruptibilem; etsi enim contra suam exigentiam educeretur à materia, ab eaquæ verè dependeret, nihilominus deficiente hoc subjecto, semper illi adhuc debita est creatio.